

II. Suec.

124

II. Suec.

124

Abhandlungen

Hft. Succ. 105.

2

Votiva Gratulatio  
Quâ adventum, quâ abitum  
ILLUSTRISSIMO & EXCEL-  
LENTISSIMO DOMINO  
**DN. GUSTAVO  
GUSTAVI**

Comiti in Wafenburg, Libero Ba-  
roni in Wybiholm, Domino in Saris & Dahlen,  
S. R. Maj. & Regni Sveciæ Senatori, & Episcopatus  
Osnabrugensis Administratori,

Domino suo gratiosissimo,  
Humillimo cultu & devotione exhibita

â

JACOBO STYPMAN Secretario  
Status in Pomeran. & Profess. Publ.



GRYPHISVVALDIAE  
JACOBUS JEGER Acad. Typog. Typis imprimebat  
Anno M. DC. XLIX.

*H. Suec: 95.*

o n d u r g e l v o t  
n e i g e s c h r i f t e n d e n  
l e b e n s - O m i s e n n e n  
o n d u r g e l v o t  
**G V I L T** 200  
L A 1240

u n d e s d i l p r u d a s t u n g s  
u n d e s e r n e n o r n e h a n d e n  
c u n d e n s t a g s b r u c h e n  
u n d e s e r n e n o r n e h a n d e n

c u n d e n s t a g s b r u c h e n

c u n d e n s t a g s b r u c h e n

o n d u r g e l v o t

G R A U H I S A L Y D I E  
V C O B N J G E L T E C H G E T O G T  
V C O B N J G E L T E C H G E T O G T

200 200 200



## ILLUSTRISSIME COMES.



POSTQVAM SEMEL AB INVICTISSIMO REGE, felicibus auspiciis, pro libertate Germaniae arma sumta, non potuerunt incpta nisi secura & honesta Pace desinere. Et enim ex uno Hoste multus factus, & ex clade hostium majores exorti motus palam fecerunt, non tam facilis esse potestatis arma deponere, quantae necessitatis ea sumere. Non opus est causas belli reddere, & eas justas demonstrare; Satis hoc Orbis novit, & Hostis ipse confessus est. Saltem quomodo fessa Regna, & lassas provincias, ad quietem reducere laboratum fuerit, opus est, ut saepius reminiscamur. Fuit sanè ejusdem prudentiae, consilii, & operis, si non ubique majoris, quam Bellum inferre. Nam de Bello secum GUSTAVUS ADOLPHUS, cum Regni sui Senatoribus, solum liberavit, & conclusit: Cum de Pace agendum jam omnis Europa erat innexa, & illa valde divisa, consiliis ubique dubiis vel decollantibus. Armis fortuna favit, & quamillis semel ex justitia illorum, quia necessaria GUSTAVUS Magnus afflarat felicitatem, illa hucusque perennavit. Suscipiebat ab excessu Incomparabilis Regis, Serenissima nostra Regina, Imperium anceps, & gravissimis bellis implicitum. Cæsar enim cum Rege Hispano, & reliquis Pontificiis Hostis erat manifestus: nec Poloni causa erat composita: magna autem, ut subsequa tempora docuerunt latebat in vicino Rege æmulatio. Nihilominus sub ætate tenella, noluit justitiam armorum deserere. Fisa illi, & dexterrimis Regni Senatorum & Tutorum consiliis, eadem fortunâ quam Pater ipse usus est. Et quanquam novum à socio armorum imponebatur bellum, tamen tenax Regiae dignitatis, noluit in Pragensis partit tabulas consentire. Elegit potius injuriam, & neglecta merita vindicare, quam dare testimonium timiditatis. Nec secus evenit quam credebat, utrobiisque fortunâ arma comitante. Parte victoriae contestata sunt, quam iniquè Pax ab unâ parte conclusa sit. Ideoq; passim Principibus ad media consi-

A 2

lia

lia descendantibus, Hostis ulterius frangendus fuit. Ergò post clades acceptas, Hostium corda ad Pacem inclinari visa: Aliquot anni insumti sunt, priusquam mandatis & salvis conductibus securitas data. Èa accepta & consistentibus jam Illustrissimis Legatis, in destinatis locis, antecessiones, & proscenia, plus ferè temporis insumerunt, quam quæstiones ipsæ super quibus armis certatum, & per seculum ferè à Principibus confederatis questum. Apparuit statim Hostem tempora aucupari, ut si secus belli alea caderet, posset pacta pro se interpretari, vel ab iisdem discedere. Nisi exinde etiam operi immensa difficultas injecta, quod Mediator Pacis, prius debellandus fuerat, quam illa poterat tutò concludi. Ut ita ubique constaret plus cautionis & prudentiae requiri in sancienda Pace, quam indicendo bello. Quamvis dum hoc totius Europæ bonum, in conventibus Monasterio - Qsnabrugensibus tractatur, aliquot præliis Hostis vincendus fuit, antequam liquido constaret, serio ipsum rem agere, & Pacem cupere. Pervenerat industria Legatorum ferè ad finem, & pauca restabant capita, super quibus controvetebatur, majoribus jam transactis. Ecce, ruptæ à Bavarо armorum induciæ, Hosti animum subdunt, & semel ad sequiora consilia digressum magis ferocem efficiunt. Acriter haec insidiae intentæ, nec tam vi nocuerunt, quam quod tectæ. Scena fuit tota hæc actio, & quod plus pompa & ostentationis in proscripto & capitibus anquisito Johanne de Werth, in retentis à Bavarо, & avocatis à Cæsare militibus, in permutatis invicem literis, apparuit, eò minus solidæ veritatis subfuit. Dubium quidem non est, agrè initio tulisse Cæsarem, nudari se hac militia & exarmatum tot millium præsidio, se solum cum regnis hereditariis periculo & prædae exponi, tamen sub facta spē redunionis armorum, coactus est tempori inservire, & pati quod mutare non poterat. Satis enim apparuit ante conventas inducias, ejus violationem animo destinatam fuisse. Nimirum occupatis munimentis & dejectis hinc inde præsidiis, transtulerant nostri sedem armorum in ipsam Bavariam. Rebus spoliari, domo deturbari, tecta dirui, prædas pecorum hominumq; agi, & quæ aliæ bellum comitantur calamitates Bavarus in propriis ditionibus sentiebat. Ex istis rerum angustiis cum aperto Marte se vindicare non poterat, ad tractatus configuit. Non alio fine, quam ut arma in visceribus provinciæ hærentia emoliretur, & tempora in compendio habens sub fide induciarum perditas vires reficeret. Nostris quidem non erant tam supini, ut non intellexissent, Bavaros ad inducias non accedere volentes, sed adductos

adductos temporibus & necessitate, ac idcirco pacta non servaturos, & ideo cavendos, ut temporum insidiatores, & in occasiones intentos. Non fugiebat ipsos, quam fluxa, vel potius nulla, constantia esset in Bavaro, toties deceptos. Sed tanti emendum erat ultrò decipi, ne alicujus inexperti spe potiundae Pacis argueremur, præsertim offerentibus se fidei & sinceritatis seqvestris, sociis Gallis, quibus communis causæ rationem vel probare, vel saltem constare expediebat. Si enim jure belli contra Bavaram agere, & Victoria uti voluisse Serenissima Regina, quis dubitat, quin eas regiones ita cum pulvrisculo devastare potuisse, ut sicut antea nunquam aliquid boni ab ipso sperandum, ita nihil mali ab ipso in posterum timendum fuisset. Sed studio promovendæ Pacis, optimam hanc oportunitatem, quâ nullam aliquam majorem fors obtulerat, ulciscendæ Nationis Svecico nomini semper infensa, è manibus e labi passa. Cautius autem in posterum agent, & experiuntur jam Galli ipsi, preproperam nimis fuisse istam benignitatis laudem, nec diuturnam apud superbos, & à modestia nostra pervicatores. Honestius cum Victoria veniissent hæc humanitatis & indulgentiæ nomina, cum non necessitatis illa, sed moderationis argumenta fuissent. Facile autem suspicari est, cum in tam parvo fallant, quantum totis tractatibus fidendum, scilicet parum, aut nihil. Nullum tñm dñscit apud contrariam partem illa opinio, Hæreticis non servandam fidem. Mantellum est illa regula, omnis subdolæ falsitatis. Licet dubium sit, quis sit hæreticus, tamen contra omnium gentium fas, pacta semel ex fide conclusa frangere, conveniens est ratio, quâ suo scopo velificantur. Minus id curavit huc usque S. R. Mtas, nec unquam quis credet, perfidiæ bonum successum fore. Instat ergo armis & eorum justitiae, illis si DEO placuerit violationem pactorum vindicatura, & quam à volentibus nequii obtinere rationibus, illis invitis ferro Pacem datura. Dum autem hæc in Germania aguntur, & spes ubique fessos à cruro sustentat, etiam in Sveciâ alia, quam Pacis negotia non potuerunt adornari. Seqvestratis igitur horridis bellorum consiliis ad amoeniora processum. Inter quæ præcipuum erat Coronatio. Hoc unicum enim Serenissimæ Reginæ nostræ, quæ cum aucto imperio ex devictis provinciis annos auxit, & quæ jam stato tempore ab Iustissimis Tutoribus recta, jam singulos regit, ex innumeris restat triumphis, ut quum avitum solium teneat, & jam ex Bello & Pace Victoriarum satura sit, palam populo & subditis se in Regali throno collocata ostendat, quod sit Pacis &

Belli arbitra, utrobiqve summâ felicitate utens, & spondens  
sub se quietum subditis imperium. Etenim quis GUSTAVO  
Patri unquam præferri potuit Regum bellatorum? Quis CA-  
ROLO Avo eâdem ratione, & simul servi regni gloria cele-  
bri? Nemo præter Filiam, quæ eosdem hostes habuit, sed simul  
novos; quæ non solum bellum gesit, sed etiam cum singulis ho-  
stibus finivit; & quidem illud cum Imperatore, quod nemo mor-  
talium anteà sibi unquam potuerit persuadere. Hæc sunt Pa-  
tris Avijs vota, quando coacti bella incipere, ut si ipsi non pos-  
sent, Filiæ hanc gloriam quasi partem hereditatis relinquerent.  
Hic discant Reges, quomodo justè bellare & desinere debeant.  
Nostra Regina natum exemplar Orbis, quod Reges mirari, &  
si annalibus veritas non subtrahetur, stupere posteri debent.  
Digna ergo, ut Patrium solum adscendat, & totius Orbis gra-  
tulationes exaudiat. Si qua cura tangit beatos manes earum  
rerum, quæ in hoc infimæ telluris globo à mortalibus geruntur,  
credibile est summo perfundi gaudio mentem Gloriosissimi Re-  
gis, quod contra potentissimos hostes non solum tamdiu subsiste-  
re, sed etiam ad Pacis conditiones eos cogere potuerit. Nam  
Reginam inter & Cæsarem res planè jam compositæ. Quod ad-  
huc in armis sunt Evangelicorum causa est. Qui si modò una-  
nimi consensu conventioni Trautmansdorffii inhærent, dubium  
non est brevi plenam & perfectam Pacem nos habituros. Si  
vero quod tam sollicitè urgent & cupiunt hostes à communi  
causa abstrahuntur, si emissariis Cæsareis fidem habent, tempo-  
ra & occasiones novas aucupantur, dubium non est quin magno  
suo malo se tandem deceptos senserint. Nihil enim ablegati-  
onibus & testamentis istis queritur, nisi ut dissidentiæ semina  
inter socios spargantur, ut qui Directorium inter Evangelicos  
gerunt ad dubia consilia trahantur, & desperata penitus Pace  
quod superest virium Germaniæ absumatur. Præterea decorum  
existimatum, si Serenissima Regina Mater, summæ hujus Fi-  
liæ honori adesset. Per historias & annales eamus, & quam  
hæc summa fuit Matrum felicitas, Filias in regni sede vide-  
re, & Filias percipere inde Matrum gaudium inveniemus.  
Mariæ Scotiæ Reginæ Mater vidit eam ad regale culmen pro-  
perare. Hanc Isabella Castiliæ Reginæ superavit, præter enim  
quod Matris gaudia explevit simul exemplum obtinendi per  
connubium non unius sed multorum simul regnum exhibuit.  
Nemo igitur aliud credit, quam eximiè Serenissimam Regi-  
nam Matrem, cum de Coronatione certior facta gavisam esse.  
Majorem autem lætitiam Serenissimæ Reginæ Filii obventu-  
ram

ram cum juxta sē Matrem viderit. Hac de causa regia legatio decreta, quae Matrem Reginam ex Germaniā in Sveciam adduceret, vel si Majestati ipsius placeret diutius in Germaniā manere, intra præsidia Svecica invitaret. Quod autem Tibi Illustrissime Comes hæc imposta id grandes virtutes & eximia in Regnum edita documenta effecerunt. Quippe ab eo tempore quo GUSTAVUS Magnus Te Witebergam ad erudiendam primam aetatem miserat, nihil magis à Te quæsumum, quam summarum dignitatum adeptione vota Mittentis implere. Notum est non levia ibi posita civilis scientiae fundamenta. Quia verò in latebris vera non addiscitur prudentia, sed ad varios casus, quæ alibi observata exploranda sunt, ideo & Tibi placuit in Orbem prodire. Oportunum videbatur castra non negligere. Occasio se offerebat, quando GUSTAVUS Magnus pro Libertate suorum, & nostra pugnans, & in campis Luiacis hostibus immoriens, eos morte suā triumpharet. Repente vindicta animum invasit, indecorum ratus es, si non de hostibus pœnas sumeres. Approbavit Fortuna consilia, & cum prima militiæ documenta in Westphalia dederas, ad novos fæderis Pragensis ulciscendos hostes, exercitui adjunctus es. Testis est totus exercitus, quantâ vigilantiâ milites duxisti, quam fortiter & feliciter propè Witstockum pugnasti; nec desunt qui Tuæ fortitudini prælia gloriam assignant. Postea acriori modo juxta Chemnizium, & in difficilimo propè Lipsiam prælio dimicasti. nec silentio dimittendum est, quod cum turmis Tuis ferè solus Marrazini insultus hostiles juxta palustrem Cavelæ transfatum difficillimo tempore & loco inhibuisti. Ita passim, & ubique extant heroicæ manus indicia, & fugati hostis signa. Nec minus extra bellum Pacis munia feliciter egisti. Cum enim placebat ad tempus militiam relinquare, animus omnium capax non potuit securè delitescere. Subito Capitulares Osnabrugenses Episcopum postulaverunt. Sed extra locum illum degenti Serenissima Regina Provinciæ Revaliensis gubernationem imposuit. Mox ad majora revocatum, Consiliarium & Senatorem Regni declaravit. Si per singulas functiones documenta egregia consignare vellem, abundè mihi essent. Sufficit mihi regii testimoniis meminisse, quo ingentium domi militiæq; meritorum recordata Serenissima Regina Tibi Illustrissimi Comitis titulum concessit. Non eget alio virtus testimonio se ipsam ostendens; Munerari autem à summis Regibus non negligit. Ut enim Honores improvidè ambire est grande vitium, ita planè eos aspernari ei proximum. Noluit autem Serenissima hic subsistere, sed postquam

quam Te s̄emel Regno obligavit hac vice testata est, q̄anti Te  
faceret. Imposuit Tibi honorificam & splendidam legationem,  
ut Reginam Matrem, qvā Ipsi nihil carius, in Regnum deduce-  
res. Nullum dubium est quin omnia pro rei magnitudine acta;  
& ea gratia Serenissima redeuntem acceptura sit, qvā dimise-  
rit. Ostendisti enim nobiscum, per omnes aulæ modos exercitus,  
qvam Tibi Regum & Principum negotia sint obvia & aperta.  
Non solum enim regiæ hujus Legationis partes in conducenda  
Serenissima Matre per tot provincias egregiè executus es, sed  
etiam simul Provincia inspecta, qvæ in militia, ordine, regimi-  
ne apud præsidia & transitus necessaria provide & prudenter con-  
stituisti. Ita ordinato Reginæ Statu & Aulâ, domum redi ab-  
solutum exemplar Prudentissimi Regni Senatoris, cui fortuna  
& Virtus jam maxima destinant. Ego Tibi perennitatem &  
successum humillimâ mente precor, & ut constaret meæ in Te de-  
votionis documentum, volui hoc brevi sermone id includere. Id  
unicum obsequiōsè rogans, nolis humillimum clientem asperna-  
ri, qui Tibi s̄etutum devovet, & hanc suam felicitatem judicat,  
si ipsi obveniat occasio, Tibi inserviendi.



Hist. Suec. n<sup>o</sup> 4

